

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput II. De vocibus quibusdam in divinis.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

sanctum obtulit semetipsum. Denique; Pater Filium suscitavit. Idem Paulus dicit de Spiritu sancto. *Spiritus eius, qui suscitavit Iesum à mortuis, habitat in nobis.* Accedit, quòd grauius sit peccare in Spiritum sanctum, quàm in Christum hominem.

Rom. 8.
Math. 12.
Prou. 8.
E 9.

8. Classis sumitur ex Patribus. Nam, qui pro Christi diuinitate loquuntur, iidem ferè omnes de Spiritu sancto agunt.

9. Classis constat ex miraculis, nam miracula quæ facta sunt ad confirmandam Christi diuinitatè, eadem confirmant etiam diuinitatem Spiritus Sancti.

CAPVT II.

De vocibus quibusdam in diuinis.

Essentia.
Luc 13.

PRIMA vox est *Essentia*, Græcè *ουσία*, quæ in Script. inuenitur. Vbi enim adolescentior filius petit à Patre portionem substantiæ, in Græco est, *μέρος τῆς οὐσίας*. Vbi *ουσία* opes paternas significat. Quæ sunt autem Dei opes, nisi ipsius diuinitas, quæ est summum, & infinitum bonum? Quia tamen non expresse hoc loco Dei natura vocatur *ουσία*, meritò dicere potuit Epiphanius:

Heres 73.

Essentia nomen nudo modo in veteri, ac nouo Testam. non habetur: sensus autem, & significatio vbique habetur. Itaque etsi hæc vox non habetur in Script. tamen habentur eius synonima. Nā de Deo dicitur: *Sempiterna quoque virtus eius, ac diuinitas,*

Rom. 1.

Græcè *θειότης*. Quid est autem *θειότης*, nisi *ουσία τῆς θεῆς*? Item, *μορφὴ τῆς θεῆς,*

Philip. 2.

Forma Dei. Certe non minùs philosophicum est forma, quàm essentia. Et: *Diuina consortes nature;* Græcè *θείας φύσεως*. At idem omninò sunt, essentia, &

2 Pet. 1.

natura. Denique, habetur nomen *Essentiæ* in suâ radice: nam *Essentia* dicitur ab esse, & est abstractum eius nominis, quod in cõcreto dicitur *Ens*. Por-

Exod. 3.

ro *ens*, & esse in Script. de Deo dicitur: *Ego sum, qui sum: qui est, misit me ad vos;* Græcè *ὁ ἔν*. Si igitur Deus dicitur ens secundum Script. cur eius natura non poterit dici essentia?

ἁμοούσιος.

Ex hoc nomine fit *ἁμοούσιος*, id est, eiusdem essentiæ: quod nomen Ariani, & veteres, & noui, maximè oderant, tum quia extra Script. tum quia nouū illis videbatur. Et tamen utebantur ipsi nominibus multò magis nouis, & qui in nullâ Script. reperiuntur, vt *ἑτεροούσιος*, id est, alterius essentiæ. Sed primam calumniam Patres duobus modis refutarunt. I. Demonstrarunt nomen hoc non esse ideò reiiciendum, quòd in Script. non sit, cùm constet in Script. sensum huius nominis reperiri, dicente Domino: *Ego, & Pater unum sumus.*

Ioan. 10.

Secundo ostendere conati sunt, non esse nomen hoc alienum à Script. quia similibus vocibus vtitur Script. Dominus enim: *τὸν ἄρτον ὑμῶν ἐπιούσιον*. dixit Et Moyses vocat filios Israël, *λαὸν περιούσιον*. Sunt autè planè similia *ἐπιούσιος*, *ἁμοούσιος*, & *περιούσιος*: vt etiam Latina, *Supersubstantialis*, & *Consubstantialis*. Alteram calumniam Patres apertissimè confutarunt, atque ostenderunt, non fuisse inuentum hoc nomen in Nicæno Concilio, sed fuisse etiam

Luc. 6.
Dane. 7. 14.
16.

antea

antea in vsu Patrum. Nam Dionysius Rom. & Alexand. Theognostus, & Origenes hoc nomine vsi sunt. Videtur autem hoc nomen diuinitus inuentum: siquidem destruit simul contrarias hæreses Arii, & Sabellij. Nam non dicitur ὁμοούσιος de ijs, quæ quomodocunque habent similem essentiam, sed de ijs tantum, quorum vnum est ab altero, & ab illo recipit eandem essentiam. sabellius fatebatur Patrem, & filium habere eandem essentiam, sed negabat vnum esse ab alio: Ariani fatebantur filium esse à Patre, sed negabant accepisse eandem essentiam.

Hypostasis significat primam substantiam, quam vniuersè dicimus suppositum, & in natura intelligente personam. Distinguitur autem ab essentia, quòd hæc significatur per modum formæ totalis existentis in alio: Hypostasis autem significatur per modum totius, quod non in alio, sed in se, & per se existit. Ex quo sequitur, Hypostasin non addere ad essentiam aliquem gradum naturæ, aut actum, sed solum modum essendi. Ipsa enim essentia, si re ipsa existat, & non sit in alio, vt pars in toto, vel vt forma in subiecto, dicitur Hypostasis. Ex quo iterum sequitur, essentiam esse communicabilem; Hypostasin incommunicabilem: repugnat enim, vt, quod est in se, sit in alio. Nam esse in alio, est non esse in se: ex quo vltimo sequitur, Hypostasin superaddere essentiæ proprietatem aliquam, id est, aliquid, seu aliquem modum, ratione cuius incommunicabilis fiat. Hæc igitur vox, licet quibusdam suspecta videretur, vt quæ ad significationem substantiæ, id est, essentiæ, trahi posset: tamen omninò recipienda est, & tutò dici possunt in Deo tres Hypostases. Et prob. 1. ex Apostolo, vbi dicit de filio: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*: Græcè Καρὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Vbi nomine Hypostaseos, licet aliqui essentiam intellexerint, tamen alij rectiùs acceperunt personam paternam: non enim filius est imago essentiæ, sed personæ. Illius enim est imago, cuius est filius: imago enim distinguitur ab exemplari vt res producta à producente. Prob. 2. ex vsu Ecclesiæ, & Patrum.

Substantia nomen ambiguum est. Nuncenim Hypostasin; nunc essentiam significat. Quocirca in rigore dici possent in Deo tres substantiæ, præsertim cum hoc vocabulo vsus sit vulgatus interpres epist. ad Hebræos: tamen absolute neganda sunt in Deo tres substantiæ, & vna asserenda, quia communis vsus Latinorum accipit substantiam pro essentia: nam semper Aristoteles in prædicamento substantiæ ὁσίαν vocat, quam nos dicimus substantiam.

Persona nomen, quamuis sæpe pro qualitate, & larua histrionum accipitur; tamen etiam pro substantia prima à Script. & Patribus accipi, non ignoramus. Nam & in Script. passim legimus, Deum non esse acceptorem personarum, in quibus locis persona significat ipsam hypostasin humanam. Nam tunc est acceptio personarum in distributione præmiorum, quando, qui distribuit, non respicit merita hominum, sed ipsos homines, id est, tribuit plus vni, quàm alteri, non quia ille plus meretur, sed quia illam personam plus diligit. Præterea, Patrem, Filium, & spiritum sanctum, tres personas vocant Patres. Imò & Grammatici hoc modo accipiunt nomen personæ.

Proprietas, Relatio, Notio, non sunt nomina script. tamen ex script. colliguntur per euidentem consequentiam, Nam si filius est vnigenitus: ergò proprium est.

*Hypostasis.**Hebr. 3.**Substantia**Hebr. 1. 3.**et 11.**Personæ.**Act. 10.**Rom. 2.**et aliis.**Proprietates.**Relatio.**Notio.**Ioan. 1.**est.*

1. Cor. 8.
Ioan. 14.

1. Ioan. 5.

est illi, esse filium, & proinde filiatio est proprietas. Et si vnus est Deus Pater: ergo proprium est Patri, esse Patrem, & paternitas erit proprietas. Et si solus Spiritus à Patre, & filio procedit, talis processio erit proprietas eius. Pari ratione, si Christus est verus filius veri Patris, certè erit relatio vera inter Patrem, & filium. Nec enim fingi potest, quemadmodum sit verus filius, qui nullam habet veram relationem ad Patrem. Denique; si Pater à filio distinguitur secundum script. cur non potest paternitas dici notio Patris, id est, nomen, quo Pater distinctus cognoscitur à ceteris personis? Numerant autem scholastici quinque notiones: innascibilitatem, paternitatem, filiationem, spirationem actiuam, & spirationem passiuam: ex quibus quatuor tantum dicuntur proprietates, nimirum innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio passiuam: quatuor item relationes; paternitas, filiatio, spiratio actiuam, & passiuam.

Circumincepsio.
Ioan. 14.

Circumincepsio Græcè περιχώρησις, dicitur illa intima, & perfecta inhabitatio, vnius personæ in alia, & è conuerso, de quâ dicitur: *Ego sum in Patre, & Pater in me est.*

Trinitas.
Matth. ult.
Ioan. 5.

Trinitas, Græcè τριὰς, non habetur etiam expressè in Script. tamen euidenter deducitur ex illo: *Baptizate omnes Gentes in nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti.* Et: *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et vtuntur hoc nomine omnes Patres, etiam antiquissimi. Est autem obseruandum Trinitatem non significare trium vnitatem, sed simpliciter ternarium personarum, vt patet tum ex Græca voce, τριὰς; tum ex illa Symboli Athan. sententia: *Trinitatem in vnitatem veneremur.* Quam absurdè enim diceremus: *Trium vnitatem in vnitatem veneremur.* Deinde; Si vox Trinitatis vnitatem expressè significaret, quomodo non reprehendendi essent Patres, qui opponunt vnitatem Trinitati, ac dicunt in essentia vnitatem, in personis Trinitatem considerari: item in Trinitate numerum cerni; in essentia quid numeratum sit, non inueniri?

C A P V T III.

Ostenditur distinctio Personarum.

PRobandum I. est, in Deo vno, & simplici, verè inueniri tria reipsa distincta, quæ nos personas, seu hypostasas dicimus, in quâ reali distinctione trium fundantur illa omnia, de quibus iam egimus, id est, personæ, proprietates relationes, &c.

Prob. 1.
Distinctio
Personarum.

Primum itaque argumentum, & quidem demonstratiuum, est hoc: Qui accipit esse ab alio, necessariò ab eo distinguitur reipsa: nec enim fieri potest, vt aliquis producat a seipso. Sed Filius accipit esse à Patre, & Spiritus sanctus ab vtroque. Ergò distinguuntur reipsa inter se Pater, & Filius, & spiritus sanctus. Rursum; In Deo nihil potest fingi inherens, seu non subsistens, quia in Deo nullum est accideas, nulla compositio. Ergò hæc tria, cum sint